



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Formula Renunciationis Clericatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Spiritum Christi non habet , hic non est ejus .

⁴ Ubi adest penuria Presbyterorum , non est subtiliter inquirenda Doctrina , & sufficientia promovendorum , nisi ad curam Animarum essent deputandi .

⁵ Qui habet Beneficium , vel Pensionem sufficientem , non debet ordinari ad titulum Patrimonii .

⁶ Qui ordinantur ad titulum Beneficii residentialis non possunt illud relinquere inconsulto Episcopo , sed coguntur inviti illi deservire , c. admonet , ibique DD. de renunc.

⁷ Ptovidendum , nè in assignatione tituli Beneficii , Pensionis , sive Patrimonii , intercedant collusiones , deceptions , & fraudes .

Clerici alieni Domicilii , Originis , & familiares , non admittantur ad Ordines , nisi servata forma Bullæ Innocentii XII. Speculatoris .

Non admittantur ad Ordines , qui fuerunt damnati ad Triremes , qui si non remigassent , licet possint ab Episcopo habilitari , non debent tamen promoveri , nisi aliqua urgens causa contrarium suadeat , quia remanent vestigia infamiæ facti : si autem essent jam promoti in sacris , & pariter non remigassent , poterit Episcopus illos rehabilitare ad exercitium ordinum , si post lapsum notabilem temporis , vitam laudabilem duxerint .

¹⁰ Ordinati in Sacris , qui matrimonium cum unica , & Virgine contraxerunt , & consumarunt , & sic Bigami bigamia si-

militudinaria , effecti fuerunt , quamquam ab Episcopo dispensari possint (postquam poenam , quam Tribunal S. Officii impo- fuit , persolverint) ut ad Presbyteratum valeant ascendere ; tamen hæc dispensatio concedi non debet , nisi cum maxima cautela , & extra locum contracti matrimoniī , ad vitandum scandalum , & nisi hoc contigisset in aliqua magna Civitate : in qua ratio scandali cessaret .

Regulares non admittantur nisi exhibeant litteras Dimissorias eorum Superiorum cum requisitis contentis in Decreto Clementis VIII. juxtā per me notat tomo 2. formidat. tit. 13. form. 4. per rot.

Siquis ex Clericis minorum ordinum ¹² vellit sponte renunciare Clericatu , & privilegiis ejus , posset hoc facere , dummodo renunciatio ab Episcopo effet acceptata , & admissa , ut pluries Sacræ Congregationes Episcoporum , & Regulare , ac Immunitatis Ecclesiasticæ responderunt , quarum declarationes referunt Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 39. de sent. ex comm. num. 108. limit. 12. Pignatell. consult. 69. n. 11. tom. 2.

Imdō , quod hujusmodi renunciations ¹³ sponte factas , debeat Episcopus acceptare , ad hoc ut Clerici renunciantes , admittantur ad officia publica laicorum rescripsit Sac. Congreg. Immunit. in Tudortina ¹⁴. Junii 1658. lib. Decr. Roccii pag. 92. & in Balneoregien. 30. Januarii 1703. lib. 3. Decr. Vallem. par. 471. Formula autem renunciationis , & acceptationis respective , poterit esse sequens .

F O R M U L A

Renunciationis Clericatus ,

Die mensis anni

Comparuit personaliter in Curia Episcopali N. Clericus N. & dixit , ac declaravit , se non habere animum , neque intentionem , ascendere ad Superiora Sacra Ordines , neque in statu Clericorum permanere : sed ut possit munia , & officia publica , ad quæ , tam ex dispositione juris communis , quam municipalis , laici Cives vocantur , acciperè , & liberè exercere : habitum Clericalem deponere , & dimittere statuit , ac deliberavit : ideoque sponte ,

tè, & liberè renunciavit, & expressè nunc scripto renunciat Clericatu, & ejus privilegiis, petens suam renunciationem recipi, & admitti, non solum ad prædictum, sed ad omnem alium meliorem finem, & effectum, & prout juris est.

Ità spontè renuncio Ego Clericus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

F O R M U L A D E C R E T I

ATtentis narratis, renunciationem supradictam spontè factam admittimus, & acceptamus prout de jure, ad effectum ut renuncians admitti possit ad munia, & officia publica laicorum, eaque liberè exercere valeat: cum expressa tamen declaratione, quod dictus Clericus N. renuncians, non possit amplius, habitum Clericalem dimissum reassumere, absque nostra expressa licentia, aut nostrorum Successorum. Datum hac die.....

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

16 In hac Clericatus renunciatione duo sunt advertenda. Primò, quod si Clericus, qui Clericatu renunciavit, haberet, & possideret aliquod Beneficium (quod vacat ipso jure, non poterit conferri ab Ordinario: quia hæc non dicitur propriè vacatio, sed potius tacita renunciatio, quæ cadit sub dispositione Bullæ Pii Quinti prohibentis collationes Beneficiorum, tam directè, quam indirectè resignatorum in manibus Ordinariorum, nisi concurrat aliqua ex causis in eadem Bulla expressis, prout consultus super hoc dubio respondit Ricc. decis. 307. num. 3. par. 3.

17 Secundò, quod quando renunciatio Clericatus, fuit ab Episcopo admissa cum declaratione, quod renuncians non possit amplius habitum Clericalem reassumere absque sua licentia: si Clericus illum propria auctoritate reassumeret, ei non suffragaretur, ut declaravit olim *Sacr. Congregat. Immunit. in una Mazzarien. 16. Decembr. 1642. lib. 3. Decr. Paul. fol. 192. & Sac. Congr. Concili i. Aquilana 20. Decembbris 1698. ad 3. imò Graff. de effect. clericat. in prælud. num. 398. ex Majol. de irregularit. lib. 5. cap. 24. num. 3. quem se-*

quitur Vivian. *de jurepatr. lib. 6. cap. 1. num. 82.* tenet quod Clericus, qui renunciavit, non debeat amplius ad Clerum admitti.

Hucusque scripsoram, animo calamum deponendi, & quiescere; quando occasionaliter incidi in lecturam Opusculi (quod caro pretio emitur) *P. Moreni Auditoris Hispani*, qui scripsit in Bullam *Innocentii XII.* quæ incipit *Speculatores*, & illud anno 1699. Typis *Antonii de Kubels* in Urbe evulgavit; & cum obversasse Doctrinam non cohærentem menti dicit. Constitutionis; imò in pluribus ex ab eo firmatis, elusoriam, & infirmam reddi, coactus fui laborem profequi, & pro instructione, & admonitione Episcoporum ordines conferentium, ac veridica Constitutionis (quam Morenus vellet evertere) intelligentia, nonnulla hic addere pro bono etiam publico mens fuit.

Præmittendum autem est, quod hæc ¹⁸ Constitutio, antequam emanasset, fuit transmissa per manus omnium Eminensissimorum Cardinalium S. Congregationis Concilii quorum votis, & consilio, extensa fuit; inter quos cum de eo tempore